

mendationem continere videtur. Tantum de philosophandi utilitate, quantum sufficit ad initium harum Exercitationum.

EXERCITATIO II.

Naturalis Dei cognitio Philosophiæ principium, medium, finis.

I. **Q**uanquam naturalis Dei cognitio per universam Philosophiam diffusa est (haut aliter ac lumen per totum mundum) adeo ut bene dixerint Themistocles & Averroës, referente Scaligero exerc. 3. *entia omnia nihil aliud esse quam Dei scientiam*, tamen duo præcipuè loca sunt in Philosophia; ubi de Deo agendum est ex instituto, nimirum, partim quidem in ejus principio, partim in fine.

2. Dico per universam Philosophiam fusam esse Theologiam naturalem, quia dum in operibus Dei ritè contemplandis occupamur, fieri nequit, quin ipsius Opificis potentiam, bonitatem, sapientiam passim admirando in ejus notitiam magis magisque assurgamus. Quæcunque enim sunt in rerum natura à Deo creata & ordinata, ad ipsum tanquam suum principium & originem sunt referenda. Quod respiciens

S. Au-